Vir Celeberrime
Fautor et Amice carissime.

Et adversa valetudo, qua cum a principio anni ad hunc fere diem conflictatus sum, et negotia quae partim vi muneris mihi incumbunt, partim extra ordinem imponuntur in causa fuit, quod ad suavissimas tuas literas hactenus non responderim, quod ne aegre feras et quod vehementer a te peto. Cum vero nunc dei beneficio firmiori corpore uti incipiam et negotia plurima ad umbilicum perducta sint commodam hanc occasionem te per literas alloquendi praetermittere nolui, ut cognoscas quam vero me uti antea et imposterum te diligere et magni aestimare.

Hegesippum nostrum tibi placuisse gaudeo, utinam ejusdem aetatis Codices plures possideremus, et certissime illos in usum tuum concederem. Plinii MSS frustra hactenus inspicere laboravi, rara enim solent esse ejus exemplaria. Virgilio tuo forsan lucem foeneraretur Codex noster Servii satis antiquus, qui sex libros prio-

299v

res Aeneidos complectitur, reliqua desiderantur. Quod si tu
Servio illustrando et emaculando manum medicam adjiceres,
cum enim inter Glossographos Vett. principem locum obtineat, ope-
rae pretium facturus esses, si conferre inter se non solum varias
editiones sed et MS velis, ut hoc beneficio unus codex ex alio
suppleatur. Habebis cum in finem a me praefatum Servii codicem.
Labores mei Petro de Vineis dicati lente procedunt, nisi enim
aliquando ceteris negotiis horas aliquas quasi suffurarer,
abjectus plane in angulo jaceret. Accedit et illud, quod ani-
madverterim plus dei requirere hunc auctorem quam crediderim
in principio. Nullisne precibus ex Senatoria vestra Bi-
bliotheca extendi potest codex ille Petri MS. cum Hilarione
Monacho de Vita Caroli? Si me amas, age id data ope-
ra, ut quam proxime hi codices ad me mittantur, si sine
cautione obtineri possint, sive fides mercatoris interponenda,
quaeso proxime responde et cunctos deligenter, ut certi sint Uni-
versitates de fide mea. Si spes sit obtinendi libros illos praefa-
tos conjice omnes cum Hegesippo in unum fasciculum ab
injuria temporis probe munitum et committe fidei veredo-
rum publico ut eum omnia certo et secure ad me perve-
nturo. Vale et fave Celeberrimi Nominis tui cultori

studiosissimo

Cassellis Cattorum 23 Maji 1728.

J H Schmincke

Si amicos mihi parare posses qui monumenta de rebus Friderici II. filii nepotisque
in usus meos concederent vel publice praedicandum mihi praestarent. Engelschalkus
patria Marburgensis num hactenus in vicinia tua habitat.